

lium partium supponit **GS** esse centum & quindecim: talium est **GP** quinquaginta & duas. Quoadmodum enim se habet linea **GS** ad **GP**, sic se habet circumferentia **RST** ad circumferentiam **OPQ**, relinquatur ergo distantia **PK** meridiani: hoc est ea quae intercipitur a parallelo per Thyle & parallelo per Rhodum: partium uiginti & septem. Distantia uero **KS**, ea scilicet quae a parallelo Rhodiensi aequinoctiale attingit: similium partium restabit triginta & sex. Deinde **SV**, hoc est distantia quae fit ab aequinoctiali ad parallelum oppositum parallelo per Meroem: relinquatur partium similium sexdecim cum tertia ac duodecima. Praeterea qualium partium est **PV** in latitudine cogniti nostri orbis septuaginta & nouem cum tertia & duodecima: aut ut ad integra ueniamus: partium octuaginta: talium erit **HKL**, media longitudinis distantia centum ac quadraginta & quatuor: habita eorum ratione quae supponunt. Eandem enim ferme proportionem habent quadraginta milia stadiorum latitudinis ad septuaginta & duo milia stadiorum longitudinis in parallelo per Rhodum. Scribemus autem & ab eodem centro: & per puncta distantiarum a **G**, ad **S**, reliquos quotcumque uoluerimus parallelos: centro rursus, **G**, & interuallis distantibus ab **S**, per sectiones numero aequales positas in distantis aequinoctialis. Licet autem nobis lineas quae per meridianis assumunt non describere rectas usque ad **M. V. N.** parallelum: sed tantum usque ad aequinoctiale **R. S. T.** Postea diuidendo **M. V. N.** circumferentiam in triginta sex coaequales sectiones cum sectionibus paralleli per Meroem numero ac mensura: dabitur his coniungere lineas meridianorum: quae usque ad aequinoctiale recte perueniunt: ut quodammodo uideatur situs qui ultra aequinoctialem est declinare: ceu. **R. M. X.** & **T. N. Y.** Relinquatur autem ut pro facili locorum describendorum noticia: strictam regulam construamus: aequalem in longitudine lineae. **GF**, aut. **GS**, tantum: ipsamque in polo. **G** figuramus: ut traducta per totam longitudinem tabulae: alterius eius latus diligentissime adeptetur: cum rectis meridianorum lineis. Quod fieri poterit si regula ipsius acies: recte per medium polum directa erit. Ipsum deinde latus siue aciem: in centum & triginta ac unum spacium cum tertia & duodecima diuidemus: aut in partes lineae. **GS**, centum & quindecim: numerosque in ipsis sigillatim notabimus: exordium ab aequinoctiali sumentes. In his itaque numeris in regula positas: poterimus ducere parallelos: ne meridianus qui in tabula notatus est: si eandem haberet ipse sectiones: confundat descriptiones uocabulorum in locis sibi conterminis. Diuidentes deinde aequinoctiale in gradus centum & octuaginta: quae spacium duodecim horarum amplectuntur: numerisque eorum annotatis in ipso: iuxta meridianum magis occidentalem exordientes: aciem regulam

traducemus ad notatum gradum longitudinis. Deinde per ipsius regulae sectiones habitato latitudinis quam uoluerimus numero utriusque spacium: locum in puncto captabimus: in quo eorum describemus: quoadmodum in sphaera notatum est.

Alius modus describendi in plano habitabilem terre partem: qui priori modo uerior est.

Cap. XXV.

AGIS etiam similem atque coequalem facere poterimus designationem habitabilem nostrae in plano: si meridionales lineas per phasiam assumamus ad normam linearum meridionalium quae in sphaera sunt. Ut si axis ipse nostri aspectus: in positione sphaerae transeat: per sectionem meridiani qui in aspectu nostro diuidit longitudinem nostrae habitabilis: & per sectionem paralleli qui ipsius latitudinem secat: praeterea per centrum sphaerae: ut aequaliter oppositi fines comprehendantur appareantque. Primum autem: ut habeatur quantitas inclinationis parallelorum: & plani transeuntis per annotatam sectionem: & centrum sphaerae rectos angulos facientis cum meridiano medio longitudinis: constituatur maximus circulus hemisphaerium terminans. **ABCD**. Et ipsius meridiani diuidentis hemisphaerium sit semicirculus. **AEC**. Sectio autem quae ad aspectum est: tum huius: tum paralleli diuidentis latitudinem: sit **E**, punctus. Ducaturque per **E**, maximum circulum iterum semicirculus rectus ad **AEC**, qui sit **BED**, cuius uidelicet planum secundum axem aspectus supponet. Dimissaque **EF**, circumferentia graduum uiginti & trium & semis cum tertia (tot enim aequinoctialis distat a parallelo per Syenez: qui medius fere totius latitudinis constituit) scribatur per **F**, semicirculus aequinoctialis. **BFD**. Inclinatam ergo uidebitur tunc planum aequinoctialis: & caetera parallelorum aliorum ad planum axis aspectus per **E, F**, circumferentiam: quae gradus habet uiginti & tres & semis cum tertia. Supponatur igitur **A, E, F, C**, & **B, E, D**, rectae pro circumferentiis. **B, E**, rationem habente ad **E, F**, quam habent nonaginta ad uiginti tria & semis cum tertia: & producta. **C, A**, cadat centrum in quo scribit **BFD**, pars circuli: sitque illud **G**, propositumque sit in uenire rationem, **GF**, ad **E, B**. Ducatur ergo **B, F**, recta: & hac per medium diuisa in punctum **H**, producat & **H, G**, perpendicularis ad **BF**. Cuiusmodi qualium est **E, B**, recta nonaginta talium **E, F**, ponitur uiginti & trium & semis cum tertia: eorundem erit & **B, F**, subtensa nonaginta & trium cum decima. Angulus autem sub **B, F, E**.